

nis, aut capellamarum non collationum (1). Notandum 2. quod pretium acceptum pro simoniaca collatione beneficiorum, aut Ordinum, aut Sacramentorum, si excedit quod poterat a ministro exigere (loquendo de Sacramentorum administratione, ut dictum est *præc. n. 45.*) pro sua sustentatione, restituendum est illi, qui illud tradidit ante traditionem rei spiritualis; si autem postea traditum fuisset, tunc, licet probabile sit posse restitui eidem, nihilominus probabilius est cum s. Thoma restituendum esse Ecclesiae, aut pauperibus. Quoad autem fructus beneficii simoniace acquisiti, isti restituendi sunt Ecclesiae, et probabile est posse dari pauperibus, aut successori in beneficium, et potest etiam obtineri compositio a Papa. Quod autem acceptum est pro admissione in religionem, non est restituendum, nisi post sententiam, et interim potest retineri pro alimentacione communitatis (2). Notandum 3. quod ab excommunicatione et suspensione ob collationem Ordinum, vel beneficiorum, aut ob admissionem in religionem incursis, si publicæ sint, solus Papa potest absolvere; sed si occultæ, possunt etiam Episcopi juxta communem sententiam per *Trident. cap. Licet. 6. sess. 24.* Et Salmant. cum Less., Sa, et Castropal. dicunt posse etiam mendicantes, ad dentes quod Bulla Pii V. quæ quoad hoc revocavit omnia privilegia Regularium, non est recepta; sed hic

## TRACTATUS V.

### DE SECUNDO PRÆCEPTO DECALOGI

#### CAPUTI.

##### DE BLASPHEMIA.

1. Quando committitur blasphemia.
2. De maledictione creaturarum.
3. ad II. De maledicentia in mortuos.

1. Blasphemia committitur aut attribuendo creaturæ aliquod attribu-

(1) Lib. 3. n. 442. — (2) n. 444. ad 416.

nequeo intelligere, quomodo revocatio privilegiorum opus habeat acceptatione, cum in tantum Regulares prius poterant, quia Pontificibus sic placuit; ergo si eis ablata fuit ab eodem iudicio, qua potestate possunt sibi talem jurisdictionem vindicare? Vide dicenda *Tractatu 20. num. 17. circa fin.* Sed quicquid sit de hoc, certum est per Clementem VIII. ablatam fuisse Regularibus extra Urbem, et intra Italiam facultatem absolventi secularia a simonia reali, et confidentiali. Vide *Tract. 20. de privilegiis num. 99.* Quoad inhabilitatem ad alia beneficia Episcopus potest dispensare, dummodo crimen simoniæ non sit deductum ad forum contentiosum, et modo non sit confidentialis (3). An autem possit Episcopus dispensare cum simoniaco ad obtinendum idem beneficium? Respondetur quod si beneficium (sive sit curatum, sive simplex) scienter fuerit receptum simoniace, non potest Episcopus dispensare: si autem simonia commissa fuerit a tertio, et beneficiatus receperit beneficium inscius simoniæ, tunc potest Episcopus dispensare, sed non tamen ante renuntiationem beneficii; Navar., Sanch., Salmant., etc. Si autem beneficium est curatum, non potest Episcopus dispensare in illa vacatione, potest vero in alia, Panorm., Pal., Salm., etc. (4).

De *perjurio* autem, quod est quarta species irreligiositatis, fiet sermo in *Tract. seq. Capit. 2*

tum divinum, ut si vocaretur *dæmon sanctus*, etc. aut aliquod convicium in Deum, vel Sanctos, vel in res sanctas, aut in dies sanctos proferendo, ut si quis malediceret alicui Sancto, dicendo: *Male habeat sanctus N. Male eveniat Ecclesie.*

(3) L. 3. n. 417. — (4) n. 418

*Maledictum sit Pascha, sabbatum sanctum*, etc. quam quidem execrationem vulgo rudes exprimunt per verbum, *Mannaggia*. Etiam Blasphemia est dicere: *Deo invito hoc fiet; O sanguis Christi!* (ira excandescens in Dominum): *Deus non juste operatur*. Et hoc postremum esset etiam blasphemia hæreticalis; itaque si serio prolata esset, qui eam audiret, infra mensem teneretur ad denunciandum. Blasphematur etiam facto v. gr. spuendo versus cælum, conculcando imagines, coronas, etc.

2. Dicere autem *Atta sancti N.* non est blasphemia, nec etiam *Potta*; nam hoc verbum tantum significat in nostro idiomate interjectionem indignantis. Nec esset blasphemia dicere *Mannaggia santagata. Male habeat Santagata Sanctusermus, Sanctusmenna*, etc. quando intelligitur locus, et non Sanctus. Nec item erit blasphemia maledicere creaturis, nimirum igni, vento, pluviae, etc. nisi addatur verbum *Dei*, aut nisi essent eæ creaturæ, quæ speciali relatione referuntur ad Deum, aut in quibus peculiari modo relucet divina potentia, prout sunt anima, cælum, etc. Item dicendum puto de maledictione mundi, modo non intelligatur mundus pravus, quomodo accipiebatur a Jesu Christo, cum dixit: *Si odit vos mundus: Ego vici mundum*, etc.

3. Maledicere *Fidei* alicujus, ex se non est blasphemia, nisi exprimeretur *Fides Christi*, aut *Fides sancta*: quia cæterum nomine fidei potest etiam accipi fides humana. Nec est blasphemia maledicere *mortuis*, nisi mens specificè ferretur ad animas purgatorii, aut nisi malediceret mortuis sanctis aut Christi. De hoc puncto jam egi in opere morali (1): sed quoniam de hoc puncto usque adhuc ab aliis auctoribus minime actum est, lubet hic majore qua possum claritate de hoc tractare, præcipue ut satisfaciam cuidam auctori

anonymo, qui quadam sua epistola nonnulla objicit.

4. Itaque affirmo maledicere mortuis natura sua non esse blasphemiam neque ex se, neque relative ad eos, qui ea verba effutiunt. Primo non est blasphemia ex se, dum hoc verbum *mortui* proprie est terminus privativus, qui significat homines vita privatos, qui amplius non existunt in præsentem, et in hac suppositione vox *mortui* non denotat nec animam, nec corpus. Qua de re philosophico rigore loquendo qui maledicit mortuis, nemini injuriam irrogat, dum maledicit illi qui existentiam non habet.

5. Dicit aliquis: Sed hic vox *mortui* accipitur non tanquam terminus privativus, sed tanquam *analogus*, nempe quod possit referri tam ad corpus, quam ad animam defuncti. Respondeo primo quod qui sic loquitur, jam loquitur de relatione, qua mens ad aliquod fertur; sed ego loquor de eo, quod importat ex se vox *mortui*. Sed dato quod accipienda sit talis vox tanquam terminus analogus, respondeo secundo, quod sub hac voce *mortui* principaliter, et in recto, ut aiunt philosophi, venit solum corpus; quod dumtaxat potest dici mortuum, non autem anima, quæ non moritur. Anima enim potest tantum in obliquo intelligi, dicendo v. g. anima mortui, ex eo quia aliquando fuit forma corporis illius, cui dedit vitam. Sed supposito quod vox *mortuus* principaliter respiciat corpus, et minus principaliter, et ut melius dicam, improprie denotet animam; cum aliquis nominat *mortuos*, ex se loquendo non intelliguntur animæ illorum, sed corpora. Ut intelligantur animæ, opus est ut ipse aut mente intendat de animabus loqui, aut animas denotent cetera verba sermonis, ut est illud, quod scriptum habetur in libro 2. Machabæorum 12. 46.: *Sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis orare*. Hoc

(1) Lib. 3. n. 430.



loco verbum *exorare* jam significat sermonem ad animas dirigi.

6. Igitur ex se loquendo maledictio mortuorum non est blasphemia, quia non refertur ad animam. Videamus nunc, an sit blasphemia saltem ex relatione mentali eorum, qui eam proferunt. Et hoc etiam negamus; quia illi, qui maledicunt mortuis, ordinarie a consideratione animarum ipsorum præscindunt. Hic autem auctor epistolæ conviciis me onerat ac impropere quod nesciam terminum *abstractum a concreto* discernere. *Abstractus*, sic ille me instruit, est qui formam significat a subjecto præcisam, prout est pulchritudo, albedo, etc. *Concretus* vero significat subjectum cum forma conjunctum, v. g. homo pulcher, charta alba, etc. Hinc dicit vocem *mortuos* significare hominem, qui olim anima et corpore constabat, sed nunc importare corpus, et animam disjunctas. Et ex hoc concludit quod *mortuis* maledicens non tantum eorum corporibus, sed animabus etiam maledicit.

7 Respondeo: Ego non dico quod, qui *mortuis* maledicit, eos tanquam abstracta considerat, nempe uti formas sine subjecto: sed dico quod præscindit a considerando in mortuo animam quam olim habuit. Aliud est abstrahere, quod est considerare formam sine subjecto: aliud est præscindere, quod est considerare subjectum præcisum ab aliqua ejus qualitate aut circumstantia, cum qua potest illud conspici. Certum est quod homines mortui in præsentem non sunt illi ipsi qui prius existebant in vita. Tunc erant tot personæ quæ anima et corpore conjunctis constabant sed nunc quidem existunt eorum animæ et corpora, sed sunt, substantiæ separatae. Adeo ut maledicendo in præsentem hominibus mortuis, non proinde necessario maledicitur eorum animabus, nisi cum illæ specialiter exprimentur, aut subintelliguntur.

8. Sed esto concedatur auctori

epistolæ, quod ipse sustinere contendit, nempe quod maledicere *mortuis*, idem sit ac maledicere vivis. Quæro ab ipso: ergo qui viventi maledicit, semper peccat mortaliter? Omnes dd. Cajetanus, Sotus, Molina, Prado, Azor, de Lugo, et alii apud Salmanticensis (1) cum sancto Thoma (2) dicunt tunc maledictionem in proximum esse peccatum mortale, cum illa esse formalis, nempe (ut explicat Cajetan.) cum quis animo pravo proximo optat malum (et grave quidem), quod illi imprecatur. Secus vero cum maledictio est materialis tantum, nempe sine pravo animo prolata; et tamen in vivente certe adsunt anima et corpus. Et cur non est mortale? quia qui maledicit non semper intendit maledicere proximi animæ, et injuriam inferre illi substantiæ, in qua Dei imago elucet, sed præscindit a respicienda anima, et ita non peccat lethaliter. Qui maledicit creaturis rationis expertibus (docet idem s. Thomas in loco citato a 2. et omnes illi), si eas respicit ut Dei creaturas, graviter peccat, et veram blasphemiam committit, secus vero si præscindit a considerando eas uti tales, et eis maledicit dumtaxat uti creaturis in se consideratis, et tamen omnes illæ sunt creaturæ Dei. En vide quod s. Thomas jam admittit hanc præcisionem. Ita pariter qui maledicit *mortuis*, si ipsis maledicit respiciendo eorum animas, peccat mortaliter: secus autem si præscindit, ipsi maledicendo, quin specialem ad eorum animas habeat respectum.

9. Dicere autem quod omnes qui mortuis maledicunt, intendunt etiam in animas invehere, ego et tot alii confessarii experientia docti penitentes de hoc interrogando oppositum experti sumus. Tanto magis quod qui mortuis maledicunt, eis animus non est mortuos lædere, sed viventes, quibus eas maledictiones diri-

(1) De rest. c. 4. n. 27 et 28. — (2) Part. 2. q. 76. a. 3.

gunt ad injuriarum modum. Sed hæc est materia facti; confessarius de hoc potest se certum facere, et a dubio se liberare, sedulo interrogando penitentes.

10. Dicere autem quod, licet quis intelligat maledicere solis corporibus mortuorum, nec potest excusari a mortali, propter respectum quem Ecclesia erga defunctorum corpora adhibet, ea thure suffiando, aqua benedicta aspergendo, ac in særa sepultura tumulando. Nescio utrum hac ratione possit aliquis tibi persuadere, quod maledicere mortuis sit mortale. Brevibus respondeo, et dico quod præfatæ functiones non sunt cultus religiosi honor erga cadavera defunctorum, sed sunt quædam cæremoniæ quas Ecclesia etiam erga viventes adhibet. Igitur si honor, qui defunctis præstatur, præstantior non est eo qui vivis exhibetur, nec injuria erit major. Sed cur (subjungit auctor epistolæ) leges severius puniunt in cadavera sævientes? Respondeo: puniunt nun ratione injuriæ majoris, sed animi pravi, qui in eo actu manifestatur, quod quidem crimen puniunt etiam in necantibus infideles, et hæreticos. Secus, si id esset ex se in defunctorum corpora contumelia gravis, ejusdem criminis rei essent qui ea incidunt, et frustatim dividunt ad medicas observationes. Ceterum quod ego concludo est, quod maledictio in mortuos non est blasphemia, nec peccatum mortale. Et tres auctiores (in opere allati) qui tantummodo de hac rescripserunt, idem senserunt. Adde quod ego, ut cautius agerem, scripsi Neapolim ad plures viros doctos, ubi flos extat doctorum, et ad tres congregationes missionariorum, nempe ad illam p. Pavone, archiepiscopatus, et s. Georgii, et omnes uno exemplo mihi rescripserunt, meæ sententiæ assentientes. Accedit; pater Sabbatinus (tunc pius operarius, nunc digniss. Aquilæ prælatus) mihi respondit, cunctos pios operarios, tam

præsentem, quam antiquos, idem uniformiter sensisse. Insuper tamquam certum accepi, quod nuntius Neapolis, postquam typis editæ fuissent, tam mea epistola circa hanc rem, quam epistola mei adversarii, utramque ad Pontificem Bened. XIV. transmisit, qui R. D. Thomæ Sergio pio operario, consultori s. Officii qui jam suum obiit diem controversiam discutiendam demandavit, et quod ipse Pontifici suam sententiam significavit hanc esse, nempe maledictionem in mortuos non esse veram blasphemiam. Et ab alio pio operario, qui nunc Romæ degit, mihi affirmatum deinde fuit, quod Papa cognita p. Sergii sententia, et perpensis difficultatis puncto, ostendit se etiam id ipsum sentire.

11. Itaque hoc posito, intelligere nequeo, quomodo fieri potest, ut quidam possint non dubitare saltem, et pro certo habere, et etiam ex pergamis sine scrupulo prædicare, mortuis maledicere generaliter loquendo ex se esse mortale, atque veram blasphemiam, quando omnes dd. et etiam illi qui rigidiores profitentur sententiam, ut p. Concina, et alii docent non esse lamnandum de peccato mortali, quod aliquis perspicuus textus Scripturæ, aut evidens non suadeat ratio. S. Raymundus scripsit (1): *Unum tamen consulo, quod non sis pronus judicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam Scripturam.* Et s. Antoninus (2) dixit: *Nisi habeatur auctoritas expressa sacre Scripturæ, aut Canonis, seu determinationis Ecclesiæ, vel evidens ratio, non nisi periculose determinatur; nam si determinatur quod sit ibi mortale, et non sit, mortaliter peccabit contra faciendum, quia omne quod est contra conscientiam, edificat ad gehennam, etc.*

(1) lib. 3. tit. de penit. §. 21. — (2) Part. 2. t. 1. c. 11. §. 28.



## EPISTOLA RESPONSIVA

ADVERSUS EPISTOLAM APOLOGETICAM  
SCRIPTAM IN PROPUGNATIONEM DIS-  
SERTATIONIS, QUÆ SUPER ABUSU MOR-  
TUIS MALEDICENDI PRODIIT.

*Præ omnibus indicandum esse auctori, quod cum adversus ea quæ super hoc puncto scripseram, quedam dissertatio, cui brevibus respondi, prius prodisset, pollicitus fui, cum semel atque iterum iis quæ mihi opponebantur satisfecerim, non amplius circa hoc verbum me fore facturum; tum ne in infinitum daretur progressus, tum ne eadem, quæ jam a me scripta erant, repeterem; sed dixi quod dumtaxat respondere volebam (prout feci) ad duas s. Thomæ doctrinas, quas mihi de novo objiciebat. Et una simul significavi in animo mihi statutum esse deinceps nihil amplius super hac controversia scripturum (quia mihi satis in propugnatione res collocata esse videbatur) nisi cum ab adversario meo de veritate prorsus fuisset persuasus: tunc enim nihil mihi difficultatis esset a sententia desciscere et id in omnibus per publicam scripturam significare non erubescerem, prout animus meus ab hoc faciendo non abhorruit in aliquibus aliis meis opinionibus, quas ubi eas rationi non consentaneas cognovi, libenter revocavi.*

*Nihilominus post responsonem a me datam, vulgata est altera epistola apologetica in propugnationem præfate dissertationis, in qua contendebat auctor probare mortuis maledicere per se esse mortale: cui epistolæ, non obstante consilio, quod de non amplius respondendo ceperam, alia epistola nunc respondere sum coactus. Et hanc dumtaxat hic subiungo, in qua summam continetur tum responso quam ad dissertationem dederam, tum responso ad dissertationis propugnationem.*

Reverendissimo Abbati

D. Bartholomæo de Marco Basiliano.

*Reverendissime pater,  
et domine colendissime.*

Cum dissertatio quædam super mortuorum maledictione, ac cum adversus eam brevis responso mea prodissent, novissime typis edita est altera epistola apologetica pluribus scripta in præfate dissertationis propugnationem. Ubi ad manus meas illa epistola pervenit, et accurate illa a me lecta, diu animi pependi, rescriberem nec ne. Ex una enim parte consilium de non amplius respondendo susceptum, sartum tectum habere voluissim, ne in infinitum progrederer. Ex alia parte expediens videretur nunc denuo respondere sicut amici mei ad id faciendum me adigunt; tum quia in priori responso error quidam a quo me retractare intendo, fortuito excidit, licet ille ad rem nostram nihil referat, sicut ex hac altera responso animadvertes. Tum quia in laudata epistola apologetica adversarius alias novas exponit animadversiones, quibus ut ambiguitates aliæ de medio tollantur, altera responso satisfacere opus esse duxi. Quapropter ad te hanc alteram responsonem afferendam curavi, et abs te duo hæc peto: primum, ut omni qua potes animi attentione eam perlegas, detrahendo, addendo, corrigendo quicquid tibi visum fuerit: secundum, ut mihi consilium tuum candide aperias, utrum expedire tibi videatur ut hanc typis excudendam curem, dum ex una parte mihi contendere displicet cum viro et aliis ejus sociis ordinis, quem ego maxime facio, atque mirum in modum veneror (tametsi mihi compertum est non deesse aliquos inter illius ordinis, forte eis minime indoctiores, qui meæ adhærent sententiæ). Ex altera parte a fidelium cordibus hanc deducere opinionem, nimirum quod præfata maledictio sit mortale, cum

tale non sit, ad gloriam Dei, qui sibi animarum salutem gloriæ habet, non parum conferre censeo.

Parcas mihi, quæso, si non pauca, quæ in priori responso jam notata erant, hic repetita observas. Hoc non aliter faciendum esse censui, ut lectoris arte oculos omnia simul exponantur, dum legit illas animadversiones, quas mihi adversarius de novo objicit. In dissertatione probare aggressus est maledictionem in mortuos esse peccatum lethale, et veram blasphemiam duabus ex rationibus: 1. Quia corpora fidelium defunctorum sunt sacra: 2. quia præfata maledictio præscindere non potest, quin ad animas referatur. In responso ad dissertationem data, dixi quod jam illis objectionibus bis responderam, propterea ne eadem semper canerem, nolui ad omnia quæ opponerentur respondere. Nihilominus duabus s. Thomæ auctoritatibus, quæ de novo affererentur, dixi me facere non posse quin responderem. Primus textus desumptus est ex 3. p. qu. 8. art. 2. ubi S. Doctor dicit Christum in fidelium corpora influere jus resurgendi propter Spiritus sancti inhabitationem. Et hoc idem jus auctor dissertationis probare intendit aliunde, nempe ex ratione sacramentalis communionis, qua fideles, dum vivunt, reficiuntur; hincque ex hisce duabus rationibus infert mortuorum corpora inter sacra annumeranda esse, adeo ut sacro cultu ex religionis virtute emanato, veneranda sint. At si hæc rationes (respondeo ego) probarent quod corpora quorumlibet defunctorum pro sacris habenda sunt, probarent etiam quod necessario corpora fidelium damnatorum inter sacra annumeranda essent: in iis enim etiam aliquando habitavit Spiritus sanctus, et cum Jesu Christo per Eucharistiam incorporata fuerunt. Dicit quod illæ qualitates per peccatum postea amittuntur. Igitur subsumo, quoties Ecclesiæ authentico testimonio mihi non

constat, animam illius gloriæ æternæ frui, ac etiam quoties Ecclesiæ honorem qui ei debetur ad cultus sacri rationem non elevat, ut infra explicabimus, mihi fas non est illud corpus pro sacro habere. Præterquam quod, si corpora defunctorum sacra sunt propter Eucharistiam quam receperunt, et propter Spiritus sancti inhabitationem, necessario dicendum erit etiam corpora viventium fidelium tanquam sacra colenda esse, ita ut quælibet injuria, aut maledictio in fidelis viventis corpus irrogata, peccatum grave religioni adversans dicendum sit. Sed hoc est contra expressam s. Thomæ doctrinam, ut mox videbimus. Dicere autem sacra corpora defunctorum propter ritus, quibus erga illa utitur Ecclesia, quia nempe sacre sepulturæ beneficio donat, processionibus et benedictionibus ea decorat, thure sufficit, et etiam ob antiquum ritum (ut adversarius dicit) dudum adhiberi consuetum sacram Eucharistiam super defunctorum pectore collocandi: nescio cur hi ritus actus sacri cultus dici habeant; cum compertum sit, sæculis superioribus etiam tempore quo ab infidelium persecutionibus pace Ecclesia fruebatur, defunctorum fidelium corpora sepeliri in campis, et viis, prout testatur Thomassinus, et Calmet: imo plura Concilia prohibuerunt quominus in ecclesia cadavera sepulturæ darentur. Quod si posterioribus temporibus usus invecutus est ut in loco sacro sepelirentur (hoc affirmante sancto Gregorio), inde processit, ut proximi ex sepulchrorum conspectu recordarentur defunctorum animas sæpius suis precibus coadjuvare: *Hoc prodesse mortuis* (sunt verba Sancti), *si in ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi, ipso tumulorum conspectu admoniti, pro illis frequentius exorent; lib. 3. Dial. cap. 50. 52. et 53.* Et idem dicit sanctus Augustinus lib. de cura pro mortuis. Benedictiones autem cum aqua lustrali, dicunt Ga-



vantus, et Durandus, erga cadavera ideo adhiberi, ut a dæmonum infestatione illa liberentur. Et hac eadem de causa illa thurificantur; ut scribit *Innoc. III. lib. 2. de myst. Missæ, c. 17.* et ob idem SS. Eucharistia in defuncti pectore apponebatur, ut idem s. Gregorius asserit *lib. 2. Dial. 2. 24.* Quamvis hoc denique reprobatum fuerit a conciliis in 4. 6. et 7. sæculo, ut refert p. Vestri in suis litteris theologicis *Tr. 3. epist. 53.* sicut etiam vetitum fuit sacram Eucharistiam in ecclesiarum fundamentalibus lapidibus collocare, aut ad energumenos, aut ad infirmorum vulnera admovere, sicut pariter sanguine consecrato frontem, oculos, etc. linire, qui apud antiquos fideles mos receptus habebatur, referentibus s. Cyrillo, et s. Joanne Chrysost. Hæc perspicuum dilucidumque faciunt hos pios actus (qui a simplicitate potius quam a religione derivarunt) non indicare sacra esse ea, circa quæ illi adhibebantur, sed quod solum ad bonos assequendos effectus, quos ex eorum usu sperabant fideles, adhibebantur.

Sed loquendo de ritibus, quibus nodie utitur Ecclesia communiter in tumulandis cadaveribus, hæc sunt quæ scribit Spondanus (*lib. 1. p. 2. cap. 15. sect. 8. De sacr. cæmet.*): *Quanta namque sit dis crucis qua signantur et ornantur, et aquæ benedictæ qua asperguntur, et thuris quo suffiuntur, tum ad alia plura arcenda mala, tum maxime ad fugandos dæmones, eorumdemque ac magorum præstigiâ dissolvenda, primum mihi esset quamplurimis Patrum testimoniis et exemplis testatissimum reddere. Et in cap. 2. Sect. 1. Fit suffitus ad corpora fidelium defunctorum, quoniam, qui pie moriuntur sunt Christi bonus odor, et ut insuper significetur, defunctos reliquisse odorem bonorum operum, etc. Per incensum et judicetur eosdem credidisse se per mortem ire ad immortalitatem. insuper Stephanus Du-*

randus (*lib. 1. cap. 9. n. 9.*): *Porro, thurificatio fit ad reverentiam loci, et divini officii, etc.* Item Joannes Beletto (*in explicat. divin. offic. cap. 161.*): *Cadaver ponitur in sepulchrum, et aqua apponitur benedicta ac prunæ cum thure. Aqua benedicta, ne ad corpus dæmones accedant. Thus propter corporis fetorem removendum. Prunæ ad designandum, quod terra illa in usus communes redigi nequeat.* Præterea Guillelmus Durandus (*in rationali lib. 7. cap. 35.*): *Aqua benedicta ponitur, ne dæmones ad corpus accedant. Thus propter fetorem removendum, seu ut defunctus Creatori suo acceptabilem bonorum operum odorem indicetur obtulisse, seu ad ostendendum quod defunctis prosit auxilium orationis.* Ex quo patet omnes præfatos ritus quos erga defunctos adhibet Ecclesia, non esse cultum sacrum quo honorare intendit cadavera, sed mysticas cæremonias. Nota præterea quod eos denegat Ecclesia iis, qui excommunicationis aut interdicti vinculo ligati ex hac vita decesserunt, quamvis antequam animam efflarent certa pœnitentiæ ac suæ salutis signa dedissent. Igitur non ideo cum defunctis eos ritus adhibet Ecclesia, quia supponit eos esse templa Spiritus sancti, sed quia communionem inter vivos et defunctos cupit conservari.

Alter locus s. Thomæ qui mihi objicitur excerptus est ex eadem 3. p. q. 25. art. 6. ubi dicit Angelicus quod Sanctorum reliquiæ venerandæ sunt, quia fuerunt templum et organa Spiritus sanctus, qui in ipsis inhabitavit et operatus est: et etiam quia aliquando illa per gloriosam Resurrectionem Jesu Christi configuranda sunt corpori. Ex hoc infert adversarius maledictionem in defunctorum corpora veram esse blasphemiam, ex eo quia illa jam dudum etiam templa et organa fuerunt Spiritus sancti. Sed si hæc ratio valeat pro defunctis (iterum pariter dico) tanto magis valere deberet pro

vivis; imo quam longe fortius: viventes enim sunt actu (si in charitate vivunt, prout pie præsumendum est) templa viva et organa Spiritus sancti. Sed s. Thomas 2. 2. q. 76. a. 3. tum communi theologorum, qui eum sequuntur, Cajet. Sot. Azor. Prad. Serra, Mol. Lugo, Laym. Trullen. et omnes dicunt quod maledictio sive imprecatio in homines prolata, veniale non excedit, quoties maledictio non est formalis, sed tantum materialis, nempe sine pravo affectu. Referamus integrum textum Angelici, ne mihi imponatur quod truncum retulerim: *Maledictio est, per quam pronunciat malum contra aliquem (nota) vel imperando, vel optando. Velle autem, vel imperio movere ad malum aliter, secundum se repugnat charitati, qua diligimus proximum volentes bonum ipsius. Et ita secundum suum genus est peccatum mortale et tanto gravius, quanto personam, cui maledicimus, magis amare et revereritinemur. Unde dicitur (Lev. 20. 9.) Qui maledixerit Patri suo, aut Matri, morte moriatur. Coningit tamen verbum maledictionis prolatum esse veniale vel propter parvitatem mali quod quis alteri maledicendo, imprecatur, vel etiam propter affectum proferentis, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex subreptione aliqua talia verba profert; quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur.* Hinc in me adversarius invehendo, et verba Angelici cum emphasi mihi repetendo, secundum genus suum est peccatum mortale, sic me alloquens excandescit: *Intende, o non intende!* Ego tamen mihi videor hæc intelligere, et quidem ita, ut nemo aliter, quam ego intelligo, textum s. Thomæ intelligere debeat, nimirum quod hominibus maledicere tunc est peccatum mortale, cum maledictio est formalis, quæ tunc dicitur esse talis, cum quis animo pravo optat, ut illis eveniat malum quod imprecatur, aut tum alios inducit ad illis malum fe-

rendum, sicut se explicat. Angelicus in loc. cit. a. 1. exemplo judicis qui ministros justitiæ ad pœnam injustam exequendam in reum injuste movet. Et hoc dicit Sanctus ex se esse peccatum mortale, quia hoc secundum se ut (ipse loquitur) repugnat charitati, qua diligimus proximum, volentes bonum ipsius. Nam sicut charitas nobis imponit, ut proximi bonum velimus, ita vetat ne illi malum optemus, et ne alios ad illi malum inferendum inducamus. Loquendo vero s. Thomas de maledictione verbali (de qua dumtaxat nos in præsentī casu loquimur) dicit illam non excedere veniale, aut cum malum quod quis imprecatur est leve, aut deest pravis affectus (quæ materialis maledictio nuncupatur) proferendo nempe maledictionem aut joco, aut sine plena deliberatione. Et hoc denique hac ratione confirmat: *Quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur.* Hoc idem docet Cajetanus super cit. q. 76. a. 1. dicens: *Nota ex 1. art. quid sit proprie maledictio, scilicet dicere malum, in quantum malum, alicui ex intentione. Et ex hoc oritur quod maledictio distinguitur in maledictionem formaliter et materialiter; et quod quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale; nam maledictio formaliter et ex suo genere mortale, ut patet, materialiter autem si fiat optative non est mortale; si vero fieret imperative, posset esse mortale. Et ratio diversitatis est, quia præter intentionem optative maledicens neminem lædit, quia nec ex intentione nec ex opere ministri obsequentis, quamvis non ex propria intentione. Dixi autem ex suo genere, quia propter imperfectionem actus, sive ex parte objecti ut si parvum malum optet vel imperet, sive ex parte operantis, ut si ex ira (vel ex ludo, addit s. Th.) maledicat, quamvis affectu tendat in malum, quia non ex consensu rationis in malum tendit, deficit a perfecta ratione peccati, et per hoc non est*



mortale. In sequela igitur doctrinæ s. Thomæ Cajetanus ex una parte ait quod maledictio formalis, nempe *ex intentione*, est de genere suo mortalis, et fit venialis vel propter imperfectionem actus, scilicet consensus rationis, vel propter parvitatem mali quod optatur; ex alia dicit, esse non nisi venialem maledictionem materialem, nimirum *præter intentionem* pronuntiatam *optative*, id est modo optativo, sive per verba desiderium exprimentia, sumendo illud *optative* adverbialiter, ad differentiam *To imperative*; scilicet imperativo modo. Et idem quippe, etsi diverso modo, docet d. Thom. loco citato: ibi enim distinguit maledictionem formalem a materiali; nam primo loco loquitur de formali, nempe cum intentione volendi malum, quod pronuntiat, dum ait: *Velle autem, vel imperio movere ad malum alterius secundum se repugnat charitati, qua diligimus proximum volentes bonum ipsius. Et ita secundum suum genus est peccatum mortale.* Illud igitur quod S. doctor repugnare intelligit charitati, et esse mortale secundum suum genus, non est simpliciter pronuntiare maledictionem; sed illud *velle, vel imperio movere ad malum alterius*. Ergo s. Thomas tantum in volendo malum quod pronuntiat, vel in movendo alios ad malum inferendum, gravitatem culpæ recognoscit. Deinde ad explicandam procedit maledictionem materialem dicendo illam esse venialem si ex levi motu, vel ex ludo profertur, rationem tradens: *Quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur*, ut supra dictum est q. 76. a. 3. et in q. 72. a. 2. sic prius dixerat: *Verba, in quantum sunt soni quidam, non sunt innocuum aliorum, sed in quantum significant aliquid; que quidem significatio ex interiori affectu procedit; et ideo in peccatis verborum maxime considerandum est ex quo affectu aliquis verba profert.* Aliud itaque est maledicere *optative*, ut lo-

quitur Cajetanus; aliud maledicere *optando*, ut loquitur s. Thomas; *optative* enim denotat maledicere per verba optiva præter intentionem: *optando* autem intelligit s. doctor maledicere ex vera intentione, sicut perspicue deinde se explicat, dicendo: *Velle autem, etc.*, secundum se repugnat charitati, etc. Et hoc quidem est maledictio formalis, ac ideo graviter culpabilis; et tantum evadit venialis, ut subdit Angelicus vel ob parvitatem mali quod optatur, vel ob surreptionem, sive levi motu, quo maledictio profertur.

Cæterum quæstio hæc me inter et meum contradictorem de mero nomine est, nam dato quod s. Thomas generaliter diceret quæcumque maledictionem de genere suo esse mortalem, attamen s. doctor pro certo equidem habet, quod maledicere homini sine pravo affectu, non est nisi veniale. Et non aliud quam hoc ipse probare quæro. Itaque tam d. Thomas, quam Cajetanus, et omnes alii doctores, cum s. Augustino apud eundem Angelicum (1), non reputant esse blasphemiam maledicere homini, ex eo quod homo sit templum Spiritus Sancti; nam si hoc tenerent, nequirent dicere maledictionem sine pravo animo esse venialem; maledicere enim Sanctis aut rebus sacris, licet absit malus animus semper est mortale. Ex hoc evidenter infertur quod juxta Angelicum, et communem dd. sententiam recte considerari potest fidelis persona præcise ab eo quod sit templum Spiritus Sancti. Et deducitur præterea (adversus id quod etiam innuit meus adversarius) quod sicuti non est culpa gravis contra charitatem, et pietatem, maledicere corpori fidelis viventis, si abest pravis affectus, ita non est gravis contra charitatem, et pietatem, sine pravo animo corpori fidelis defuncti maledicere; quandoquidem juxta ipsum s. Thomam, charitas qua mortui, qui-

(1) 2. 2. q. 76. art. 4. object. 1.

in gratia decesserunt, prosequendi sunt, non est aliud quam extensio charitatis quam vivis præstare debemus: *Charitas* (ait Sanctus) *que est vinculum Ecclesie membra uniens, non solum ad vivos se extendit, sed etiam ad mortuos qui in charitate decedunt.*

Sed adversarius meus dicit, quod maximum est discrimen inter vivorum, et defunctorum maledictionem, quia in vivo regnat fomes, ac proinde ipso in peccandi periculo versatur, a quo qui decessit in gratia immunis est: unde fit (ait) quod maledictio in vivos potest esse venialis: cum enim sit peccatum contra charitatem, remoto pravo affectu, potest esse non grave; sed maledictio in defunctos, cum sit peccatum contra religionem, etiam remoto pravo affectu semper est grave peccatum, ratione injuriæ, quæ religioni irrogatur, cum corpori sacro maledicitur. Sed ut respondeam iterum, principium ejus perquiramus, unde ille fidelium defunctorum corpora sacra esse autumat. Ipse dixit juxta s. Thomæ doctrinam mortuis maledicere esse grave, quia eorum corpora fuerunt organa Spiritus sancti, et quia Communionem sacramentalem receperunt. Respondeo igitur: quoad illud quod defuncti corpus propter Communionem, et quia templum fuit Spiritus sancti, pro sacro habendum sit, jam superius dixi, quod hæc ratio probat tam defuncti quam vivi corpora pro sacris habenda esse, quia etiam vivus est templum Spiritus sancti: *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti.* 1. Cor. 6. 19. Sed in vivos (replicabit) quod fomes adest, qui hominem redigit sub potestate peccandi. Respondeo: Ergo corpus Adæ ante peccatum erat sacrum? Præterea, potentia ad peccandum non efficit, ut mutetur species sanctitatis corporis. Item nec fomes, nec periculum peccandi efficiunt, ut *hic et nunc* vivens non sit templum Spiritus sancti: tanto magis

quod fomes iste nullum reatum aut maculam in animam inducit, iam gratia Redemptoris baptizatis omnes peccati maculas extergit, et cumulatissime omnia ejus damna reparat... *Copiosa apud eum redemptio.* Ps. 129. 7. *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.* Rom. 5. 20. *Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant.* Joan. 10. 10. Unde definivit Trident (Sess. 5. in decr. de pecc. orig. can. 5.) per Baptismum animas immaculatas reddi, et fomitem nihil nocere, imo prodesse ad majorem mercedem recipiendam non consentienti: *In renatis enim nihil odit Deus... innocentes, immaculati, puri ac Deo dilecti effecti sunt, etc. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hæc sancta Synodus fatetur et sentit: que cum ad agonem relicta sit, nocere non consenti utibus non valet, quinimo, qui legitime certaverit, coronabitur.* Itaque ratio, quod sunt Spiritus sancti organa, non efficit ut corpus fidelis vivi vel defuncti sacrum habeatur; maledicere, etiam sine pravo animo, maledicere semper esset peccatum grave; et oppositum certum est, ut ipse adversarius admittit. Unde ad aliam rationem (si forte adversarius eam reperiatur) confugere opus est, ut probet defunctorum corpora sacra esse. Nec valet dicere quod maledicendo vivum potest præscindi, eum non considerando ut templum Spiritus sancti, sed mentem ad alia motiva peculiariter applicando, v. g. ad injurias quibus ab eo affectus est. Et ego subsumo: et cur hæc præcisio effici non potest, etiam respectu defunctorum, iis maledicendo ratione habita alicujus molestiæ, qua ab eo affectus sit, sed sine pravo animo? Præterquam quod (ut scripsimus in prima epistola) plerumque hæc maledictiones potius in vivorum contumeliam, quam in defunctorum effutiuntur. Sed (dicit) hoc neutiquam effici potest, quia defunctorum cor-